

David Christian Grimm

Svper Nvmis Dvobvs Patinianis Exercitativncvla

Annabergae: Frisius, [1782]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn821262017>

Druck Freier  Zugang



Nsm-

1382

SVPER NVMIS DVOBVS PATINIANIS
EXERCITATIVNCVLA



QVAM

ORATIONIBVS ACADEMIAE
CANDIDATORVM II
ET RELIQVIS IV

QVAE

A. D. IX. APRILIS c1515CCLXXXII. IN SCHOLA ANNAE-
MONTANA

H. L. Q. C.
HABEBVNTVR

INDICENDIS PRAEMITTIT

M. DAVID CHRISTIANVS GRIMM, RECTOR



ANNABERGAE, EX OFFICINA GOTTLOB AVGVSTI FRISII.

Vsm. - 1382.

27.

2

UNIVERSITÄT ROSTOCK
PHYSIKALISCHES INSTITUT
OPHTHALMUS ACUTISSIMUS
CANDIDA FORNICE
IN Oculis

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochensis





In Caroli Patini Thesauro Numismatum duo reperiuntur p. 100. ed. Amst. quorum vnum typo expressum, titulo huius exercitatiunculae subiecimus, altero omisso, cuius aduersa pars seu antica nudum Alexandri M. caput exhibet, quale in multis aliis numis cernitur, auersa vero seu postica, vtpote vtrique numo communis, hic et ipsa iam expressa conspicitur. Ad haec duo numismata, quae vir ille elegantissimus habuit in cimeliarchio suo, quod, vel certe maxima eius pars, in Gallorum regis gazas postea transiit, haec ipse d. l. scripsit: „Prosperè adueniet, qui horum numorum soluat aenigmata. Sedet mulier quaedam habitu reginae: sceptrum enim habet in laeua, „summae potentiae symbolum: caput eius turribus insignitum est. „Hinc inde adstant et vir et mulier, ille bipennem tenet, prorsus vt „in Smyrnaeorum numis, haec, quae turritum etiam habet caput, lauream imponit capiti reginae sedentis. Infra cernuntur quatuor fabulosa monstra, quibus chimaerae vel sphinges repraesentantur: virgineas habent facies, alas, pecudumque pedes. Sub folio decumbentes videntur duae figurae, quae cum arundines teneant, ad „duos fluuios referri possunt. Nostram in coniciendo agnoscimus tenuitatem, cum praesertim idem ipse typus et monstrosus Diis, nimirum Aegyptiis coniunctus sit, et capiti Alexandri Magni. Tanta „istius

„istius expositionis auiditate tenemur, vt libenter rem pro vmbra dese-
„reremus, explicationemque numerum ipsi antiquis numis, quamuis
„magni pretii, compensaremus.“ Hactenus ille. Sed tanti viri desi-
derio, nisi potius omnium auiditati eorum, qui veterum re numisma-
tica delectantur, nemo satisfacere, quod equidem sciam, conatus est,
praeter Sigb. Hauercampium, in dissertatione, quam inscriptam, *de*
Alexandri M. numismate, quo quatuor summa orbis terrarum imperia
continentur, alterique *de numis contorniatis* praemissam, edidit Lugduni
Bat. MDCCXXII, quaternis. Alexandri M. appellat numos, quoniam caput
eius, in eorum altero, vt supra diximus, conspicitur, eiusque senten-
tia, quae vel ex ipsa illius dissertationis inscriptione patet, ea est, vt
quatuor summa orbis terrarum imperia contineri ea parte, quae vtrique
communis est, censeat, eoque etiam capita alterius partis diuersa, Ale-
xandri nimirum, et duo illa monstrosa, referri commode posse, existi-
met. Id quomodo suadere lectoribus nitatur, primo dicendum est,
deinde, quid mihi de his numis videatur, paucis exponendum.

Sunt autem, quae maxime pro sua, quam indicauimus, senten-
tia, Hauercampius facere existimet, quatuor illae sphinges alatae, quae
in vtriusque numi auersa eaque communi parte apparent: tum quatuor
cornua, quae in alterius antica, pone duo illa monstrosa capita, cer-
nuntur. Vtrinque vniuersi orbis quatuor summa designari imperia, ar-
bitratur, vid. eius diss. p. 13. et 19. Atque huc refert, et celebrata
totidem, alis etiam exornata, ad eandemque spectantia monarchias,
monstra apud Danielem VII, 3—7. tum apud Ezechielem I, 5—10. et
ea, quae in sacris profanisque scriptoribus, de cornu, roboris ac po-
tentiae signo, passim leguntur, non omisis, quae iam eadem de re
collegerat Ill. Spanheimius de vsu et praestantia numismatum, dissert.
V. p. 346. sq. et VII. p. 387. sq. Minus conuenire quatuor illis imperiis
videntur reliqua in his numis expressa, sed Hauercampius ad eadem
conferre nihilo magis dubitat. Nam, vt caput Alexandri M. omit-
tam, quod in numo, summa imperia continente, exhiberi commode
et instar omnium potuisse, existimat: capita illa duo, truci vultu et
horrendo oris hiatu, haud aliud quicquam putat significare, quam ea-
dem illa imperia, ita quidem, vt mitratum illud et promissa ac deflu-
ente per humeros caesarie, qui communis Asiae gentium mos fuerit,
Assyriorum et Persarum p. 5. sq. alterum vero nudum, arrectis ad hor-
rorem crinibus, *Graecorum et Romanorum* reges vel imperatores desi-
gnare

gnare sibi persuadeat p. 9. Ora autem, praeter morem humanum ducta, beluinae crudelitatis speciem praebere censet, quibus, absorpta cuncta ab his imperiis ac deuorata fuisse, innuatur p. 11. sq. Duos tandem in basi alterius partis decumbentes, qui, quod algam f. arundines tenent, ad fluuios referri possunt, non alio vult spectare, quam ad rapiditatem et violentae potestatis impetum, quo eadem Asiae et Europae imperia, velut mergare cuncta et late vastare videbantur, p. 20. sq. sicut totidem numero aras, quae in extremis numi oris vtrinque apparent, denotare existimat summos illos, imo et diuinos honores, quos sibi Asiae et Europae principes illi et Monarchae, aut passi sint, aut iusserint deferri p. 22. sq. Ex his igitur omnibus, quae partim aperte, ex sua quidem coniectura et opinione, quatuor orbis imperia, significare existimat, vt sphinges et cornua, partim satis commode eo referri posse arbitratur, vt reliqua omnia, illud postremo argumentatur, foeminam ipsam reginae habitu sedentem, non Romae speciatim, sed communis illorum imperiorum maiestatis, atque adeo in vniuersum summae rerum potentiae, effigiem esse.

Sequitur nunc, vt quid de hac Hauercampii et explicatione et argumentatione iudicandum sit, paucis ostendamus, ac nostram de his numis addamus sententiam. Sed de eorum materia et aetate, quaedam sunt praemittenda. Sunt nimirum ex numero eorum, quos *contorniatos* appellant, a circulo comprehendente, quem *contorno* Itali, *contour* Galli vocant. Isque in quibusdam eiusdem, in plerisque diuersi metalli, item planus in nonnullis, in pluribus tortilis, talis autem in omnibus apparet, vt non statim factus cum numis, sed deinceps, excauatus quippe, percussis iam numis, additus esse videatur: quo ipso, vt acute obseruauit Morellius specim. vniuers. rei nummar. ant. p. 43. a reliquis missilibus, seu maioris moduli numis, medaillons appellant Galli, nos Schaumünzen, distinguuntur, quorum olim multi quoque circulum, sed ab initio statim additum, habebant. Vsum si quaerimus reliquis communis missilibus fuit, vt in ludis, solemnibusque temporibus, distribuenter: in eo tamen aestimatione, certe prudentiorum, paulo inferior, quod ad circenses, gladiatorias et athleticas artes memoria celebrandas, *contorniatos* potissimum pertinebant. Cui rei congruit et materia, vnde sunt cusi plerique, vilior, aeris nimirum flauo, et aetas, quae ultra Neronis principatum, non redit, quem vt ludicris omnibus, ita nominatim circensibus, impense fuisse deditum, satis constat, nec

citra Honorii tempora progreditur, quibus quippe, cum rei Romanae opibus, ludorum quoque decessit ambitio. His igitur, cum per omnia, praeterquam quod non ad ludicra spectent, simillima sint numismata illa nostra, in eorundem numero referre ea non dubitandum, vel, ut verius dicam, quid res sit, accuratiusque, ad eorum exemplum, quamquam non eodem prorsus consilio, excusa esse, putandum est. De tempore autem, quo referri debere videantur, ne sic quidem, nisi ex ipsis eorum signis et imaginibus, opinari licebit, de quibus, quod fere caput est huius exercitatiunculae, paulo nunc diligentius dispiciamus. In quo non eundem, inuersum quidem illum, quem Hauercampii supra monstrauius est, sed rectum tenebimus ordinem, illud praeceptura sequentes, quod in talibus extricandis seruandum esse omnes consentiunt, ut non a sphingibus, sicut ille, h. e. ab obscurioribus et difficilioribus ordiamur, sed a minus obscuris et euidentioribus, indeque ad obscuriora demum eruenda pergamus.

Igitur, quae vltima Hauercampio, eadem prima nobis consideranda videtur, foeminae sedentis, et imperantis ritu dextram attolentis effigies: cuius ornamenta, ut modiolum in capite, paludamentum, hastam, monile cum torquibus sub pectore, hic sigillatim explicare, nec vacat, nec attinet, cum sint notissima. Eam vero, sic ornatam, Romae seu Romani imperii gloriam, opulentiam maiestatemque, praeferre ita certum est, ut mirandum sit, quod aliter videri Hauercampio potuerit, qui quidem *in infinitis numis*, Romam hac effigie conspici, non neget. l. c. p. 33. Cur ergo hic non Romam significet eadem? cur communem quatuor monarchiarum potentiam? Sed semel, nescio quo casu, in quatuor sphinges inciderat Hauercampius: hinc ad eundem numerum quoquo modo reuocanda esse existimat omnia, quamquam ita non solum praeceptum illud negligitur, quod in talibus sequendum esse diximus, sed et rerum ordo prorsus inuertitur, ut deinceps videbimus. Vnum tamen, nam illuc redeundum est, addubitandum esse videtur illud, utrum Vetus sit ea effigie, an Noua Roma, Constantinopolis, intelligenda, cuius posterioris eadem prorsus in numis paene multis, nominatimque Constantinopolitanis, forma apparet? Sed tollunt hanc dubitationem duo altaria, quae in extremis conspiciuntur oris: quae cultum siue Deorum spectent, siue Principum ipsorum, utrinque documentum praebent paganae superstitionis satis perspicuum, cuius non modo rarissima, imò nulla amplius, sed Christianae

anae potius professionis signa, vt labarum ac similia, in Constantino-
politaniis numis et reliquis monumentis, occurrunt. Ergo Veteris Ro-
mae, non Nouae, effigies est, quae hic exhibetur, simulque illud in-
telligitur, Constantinorum certe aeuo, h. e. quarto seculo antiquio-
ra haec numismata esse censenda. Et quoniam in alterius aduersa
parte, quam typo expressam non dedimus, caput Alexandri M. vt su-
pra iam diximus, exhibetur, quem vt in vita imitari studuit, sic cre-
bro in numis suis effingi iussit Imperator M. Aurelius Alexander Se-
uerus, Antonini Elagabali confobrinus et successor, vt testis est Lam-
pridius in vita eius c. 25. propius vero esse videtur, vtrumque nu-
mum, eadem effigie auersa parte figuratum, vt et alios contorniatos,
Alexandri M. caput in aduersa ostendentes, sub eiusdem Imperatoris
principatu fuisse publicatos: cui coniecturae alia quoque fauent, vt de-
inceps videbimus. Nam in ipsis figuris sigillatim et eo quo diximus
ordine contemplandis, nunc pergendum est.

Adstantes vtrinque in medio sedenti foeminae, *fortitudinem* et
victoriam significant. Illa, quae a sinistra parte conspicitur, virili spe-
cie, lorica, balteo ac paludamento ornata, laeua manu lanceam gerit
clypeumque, dextra bipennem, caput galea pellicea, vel ferae cuius-
dam exuuiis et rictu tegitur: leonis, tauri, an lupi, hoc fatis distin-
gui nequit, nec multum interest. Quae dextrum latus occupat, mu-
liebris figura, victoria esse videtur. Nam hastata spectatur ac turrito
capite, et dextra lauream tenens, quam sedentis reginae capiti impo-
nit. His si quis *belli pacisque* artes, cum Hauercampio, significari
malit, non refragatur, nec obstat, quod in vtriusque laeua conspici-
tur hasta, quam et belli et legum custodiae commune fuisse signum,
fatis constat. Romam autem, cum staret, vt aliam quamcunque ciui-
tatem, iisdem artibus, h. e. rebus foris domique praeclare gestis, maxi-
me floruisse, quis dubitet?

Explicatis nunc his faciliore ad difficiliora, quae putantur, et
obscuriora quaedam progredior, quae mihi, hac demum via adgredi-
enti, tanto minus habere videntur difficultatis, quo plus ipsa, in tali-
bus explicandis, ratio et via prodest. Hac vero non solum quod
iam monui a notioribus ad obscuriora, verum etiam, quod hic
addo, et magis ad rem pertinet, a primariis figuris ad secundarias et
dignitate inferiores transeundum est: quod quale sit, res ipsa loquitur.
Con-

Conspicitur enim congruente et habitu et loco, quippe sedens in medio, *rerum Domina*, vt facile Romam agnoscas. Ei adstant vtrunque *satellites*, ad pedes infra *sphinges*. Hinc, qui figurarum sit ordo, quae comparatio, statim apparet. Nam si primum dignitatis locum tenet in medio sedens mulier, proximum occupant satellites: non dubium esse potest, quin tertius tandem, h. e. infimus, sit sphingibus attribuendus, nihilque sit in iis intelligendum, quod non prioribus illis inferius, et quasi subiunctum iisdem esse videatur. Tantum igitur abest, vt sphinges, quod Hauercampio quidem videtur, ipsa significant imperia, vt contra qualiacunque imperii munimenta indicent atque praefidia, tanquam exercitus, legiones, classes, similia: nec minus caecutire videatur, qui quatuor in iis videat imperia, quam qui Mineruae custodem et comitem, dum conspicit, noctuam, se ipsam videre dicat Mineruam. Quod autem Hauercampius quatuor sphinges cum totidem bestiis in Daniele c. 7, 3-7. (nam locus ap. Ezech. 1, 5-10. quid huc pertineat, non video,) confert, comparatio ea, praeterquam quod per se non satis congruit, cum ibi diuersi, hic vnus generis animalia occurrant, ideo desinitur fundamento, quoniam nulla librorum sacrorum, sola profanae religionis, vt supra monuimus, in his numis vestigia prostant. Deinde animalia, quae in Danielis vaticinio describuntur, non sunt alius figurae cuiusdam additamenta, sed singula ibi ostenduntur, tanquam signa primaria. Quare pro totidem regnis valere ea quidem possunt: non vero monstra, quae sunt in nostris numis, velut custodiae causa, sedenti foeminae addita. Numerus autem sphingium, quorsum spectet, quaternarius, me ignorare, fateri malim, quam de quatuor hic imperiis cogitare. Si coniecturae locus est, respici dixerim ad curam limitum, quam olim apud Romanos, partim naues lusoriae, partim milites limitanei, quorum crebro fit in Hist. Aug. scriptoribus mentio, contra barbarorum incursiones, sustinere solebant. De classibus Miseni et Rauennae ad tutelam maris superi et inferi, ab Augusto collocatis, videri potest Suet. Oct. 49. itemque de duabus minoribus Pontica et ForoIulensi, Lipsius de magn. Rom 1, 5. et vix credibile est, eandem tuendorum limitum curam, quamquam a multis imperatoribus neglectam, a Seuero non esse reuocatum, quem *reliquisse rempublicam firmatam undique*, tradit Aurel. Vict. de Caes. c. 24. Sin vero accuratius Sphinges in numis nostris intueor, non tam quatuor velut in summam omnes colligendas, quam ita distribuendas esse arbitror, vt singulis vtrunque adstantibus figuris
binae

binae attribuantur: si quidem ante earum pedes positaе, pari cum iisdem intervallo inter se distant, et paulo quidem maiore spatio eae, quae a parte sinistra sunt, quoniam et ipse partis sinistrae armatus ille, cum propter clypei umbram, tum ob exsertam et sublatam reginae sedentis dextram, paulo ab ea remotior stare videtur. Contra ea, quoniam propius accedit, ab altera parte, coronam imponens foemina, etiam sphinges ante eam collocatae, propius reginae sedenti adsunt. Hoc modo autem perit illud quaternarii numeri arcanum, et utriusque satellitum adiunctae sphinges binae, nihil aliud, quam *consiliorum* in bello et pace, vel capiendorum celandorumque *prudentiam*, vel exsequendorum *virtutem celeritatemque* ostendunt, quo quidem utroque in genere omnis continetur et strategematum opportunitas, et regendae civitatis scientia. Atque hanc ipsam rei cum militaris tum civilis prudentiam, consiliorumque calliditatem et cautam dissimulationem, significare Augustum quoque voluisse, arbitror, qui in *diplomatis libellisque et epistolis signandis, initio sphinge usus est*, ut Suetonius in vita eius refert cap. 50. quam, pacatis rebus et confirmato demum imperio, mox imagine magni Alexandri, novissime sua, commutavit. Hinc forte colligi licet, vel ipso tali tempore, quo in gerenda republica maxime opus esset prudentia et consilio, vel certe servandae huiusmodi temporis memoriae causa, hos numos esse excusos. Ecquis vero, hoc non convenire Seueri imperatoris aevo, contendat, qui et pessimi exempli correxit pleraque, quae in perniciem publicam extiterant, et bella cum Persis Germanisque gessit gravissima, denique in iure administrando, ne deteriora relinqueret externis domestica, clarissimorum eius scientiae virorum industria usus est? v. Lamprid. Sev. et Herodian. VI, 2-6. Ceterum non haerebit in binarum utrinque sphingium numero, qui in talibus non omnia cum pulvisculo exhaustiunda, sed artificis quoque ingenio et arbitrio tribuenda esse nonnulla, cogitabit.

Reliqua, ad quae nunc venimus, quanquam sunt expeditiora, tamen in iis quoque explicandis, non nihil ab Hauercampio nobis est discedendum. Duo flumina, quorum signa virilis formae in basi cernuntur, reuocat ille ad vim rapiditatemque, qua omnia inundata viderentur quatuor summa illa imperia. Nos fluuios Romanum imperium terminantes, in Europa, Rhenum cum Danubio, in Asia Euphratem, intelligimus. Ad duo autem capita quod attinet, quae iuxta sese posita in aduersa numi alterius parte (nam pro his in altero est, ut supra diximus, ca-

B

put

put Alexandri M.) conspiciuntur, ea quoque significare quatuor illa imperia, equis credat facile, licet ita Hauercampio videatur? Equidem puto, cuius citius hic in mentem venire perpetuos Romanorum hostes, Parthos et Germanos. Hos quoties non perhorrescit, non diris persequitur, Odas canens Horatius? quo et pertinet illud Virgilianum Georg. I, 509.

Hinc mouet Euphrates, illinc Germania bellum.

Plura adferre non attinet, satisque est, illud monere, et turritum anterioris capitis pileum, prolixamque caesariem apud Parthos in more fuisse, quod ipse Hauercampius p. 5. seq. docte copioseque monstrauit, et nudum illud alterum caput tale hic prorsus conspici, quale Germanis passim a Tacito tribui solet. Is enim in libro de eorum moribus, non solum ait, *vix uni alterive cassidem esse, aut galeam c. 6. sed et borrentem capillum c. 38. truces oculos c. 4. nouumque ac velut infernum in acie aspectum, c. 43.* iis tribuit, ac *ne in pace quidem vultu mitiore eos mansuescere* perhibet c. 31. Sed vtriusque truces oculi, cum monstroso oris hiatu, hic infestam, nominatim Romanis, Parthorum Germanorumque saeuitiam ostendunt, quam vtrique cum antea saepe, tum etiam sub Seueri imperio prodiderunt, Persis quippe (nam sic appellari tum Parthi coeperant, cum Artaxerxes Persa eorum esset imperio potitus) bis Asiam ad Hellespontum, Germanis vero Galliam infestantibus, quorum vtrinque incursiones Seuerus repressit. Sed mirum videri potest, quod in numi, et quidem romani, parte antica seu aduersa, h. e. ea, quae primariam honoratioremque exhibere effigiem solet, hic infestissimi romani nominis hostes appareant. Hinc pronus sum in eam sententiam, vt existimem, non eo spectare duo ista capita, vt Persas et Germanos, simpliciter ostendant, vt Romanis infestos, sed vt eos, truces quidem ac multa molientes, sed a nocendi conatu depulsos, ignominiae ac deridiculo spectantibus exponant. Huic consilio conueniunt fere haec: Ora non deuorantibus magis, quam temere hiantibus, similia, quippe dentibus carent: oculi truces quidem, sed et immodice diducti, quales esse solent eorum, qui ereptam sectantur, et procul intuentur praedam, quam adsequi se posse desperant: in vniuersum autem vultus vterque non iram magis et atrocitatem, quam stuporem metumque profert. Iam vero cornua, quatuor quidem, vt vtrique capiti conueniant bina, eo loco apparent, vbi habere vel ridiculum est, vel minus nocet. Hinc altervtrum significari existimo,
vel

vel ea, nunc quidem, propter metum, celari, a fronte quippe remota et pone ad ceruicem depressa, vel haberi, vt terga saltem, velut fugientium, defendant. Illud magis placet, quippe tanquam in fasciculum seu farcinulam collecta et constipata, belli pro tempore compositi speciem referunt: nam secus fit in bello et proelii concursu, vbi explicantur arma et expediuntur. Denique, si inuidiosa quae sunt, in primaria, vel monumenti cuiusque, vel numismatis, parte apparent, id totum ad ignominiam factum esse, manifestum est. Quare in numero eorum, qui numi censentur *contumeliosi*, hunc nostrum referre, vix dubito, cuius, vti hic breuiter complectar omnia, consilium argumentumque hoc esse puto, vt et hostes rei Romanae, qui tum erant, acerrimos quidem, sed frustra tamen hiantes et turpiter delusos, ostendat, et, altera parte, ea, quae factum tectumque, et tutum ab illorum vi insidisque imperium romanum praestarent eo tempore, indicet et exhibeat: quae qualia fuerint, iam supra satis, vt opinor, est explicatum.

Restat igitur, vt orationes sex a. d. IX. April. in primae classis auditorio habendas, indicemus. Qui eas recitabunt, e probatissimis nostrorum ciuium, hoc prodibunt ordine:

IO. TRAVGOTT SCHMIEDEL, Annabergensis, Acad.
Cand. carmine latino, *vitae ruri degendae varias laudabit opportunitates.*

IO. GVILIELMVS BRVICKNER, Mildenauiens. Acad.
Cand. *de finibus aetatum vitae humanae sapienter constitutis*, latine exponet.

IO. CHRISTIANVS GENSEL, et

TRAVGOTT EPHRAIM GENSEL, Annabergenses,
Summe Venerandi Domini Ephori nostri spei optimae filii, quorum ille, *an et quo sensu sapientis sit, cognoscere futura*, latino sermone explicabit, hic *sapientis esse, praesentibus recte uti*, oratione etiam latina ostendet.

IO. CHRISTIANVS ELIESER GENSEL, Grimmensis,
doctrinae Christianae popularitatem lat. idiom. commendabit.


IO.

IO. CHRISTIANVS GRIMM, Ricobac. Variscus, *de eruditione non priscae, sed nostrae aetatis, umbratica* eodem idiom. tractabit.

Deinceps bini priores, discessum in Academiam parantes, carminibus vernaculis veledictoriis, Parentibus, Patronis ac praeceptoribus gratias, quas possunt, agent maximas, eorumque se amori ac benevolentiae commendabunt. Quorum vt studia felici successu ornare ac prosperare Deus O. M. velit, precamur ex animo, et ratum, quod precamur, fore confidimus. Commilitonum autem nomine vota pro iisdem Io. Christianus Gensel, carmine vernaculo, nuncupabit.

Quas oratiunculas, vt DOMINVS EPHORVS SVMME VENERABILIS, SENATVS CIV. AMPLISSIMVS, SACRORVM MINISTRI MAXIME REVERENDI et reliqui FAVTORES rei nostrae HONORATISSIMI beneuole velint audire, suaque frequentia hunc actum illustrare, cum eorum, qui sunt dicturi, tum meo, nomine, ea qua par est obseruantia et humanitate oro et rogo. Scripsi Annabergae d. VI. Mart. 1732 CCLXXXII.





unc quidem, propter metum, celari, a fronte quippe remo
 ad ceruicem depressa, vel haberi, vt terga faltem, velut fu-
 defendant. Illud magis placet, quippe tanquam in fascicu-
 arcinulam collecta et constipata, belli pro tempore compositi
 ferunt: nam fecus fit in bello et proelii concursu, vbi ex-
 rma et expediuntur. Denique, si inuidiosa quae sunt, in
 vel monumenti cuiusque, vel numismatis, parte apparent,
 ad ignominiam factum esse, manifestum est. Quare in nu-
 m, qui numi censentur *contumeliosi*, hunc nostrum referre,
 cuius, vt hic breuiter complectar omnia, consilium argumen-
 esse puto, vt et hostes rei Romanae, qui tum erant, acerrimos
 ed frustra tamen hiantes et turpiter delusos, ostendat, et, alte-
 ea, quae factum tectumque, et tutum ab illorum vi insidi-
 erium romanum praestarent eo tempore, indicet et exhibeat:
 ia fuerint, iam supra satis, vt opinor, est explicatum.

t igitur, vt orationes sex a. d. IX. April. in primae classis audi-
 ndas, indicemus. Qui eas recitabunt, e probatissimis nostron-
 n, hoc prodibunt ordine:

RAVGOTT SCHMIEDEL, Annabergensis, Acad.
 carmine latino, *vitae ruri degendae varias* laudabit *oppor-*
tes.

VILIELMVS BRVICKNER, Mildenauiens. Acad.
de finibus aetatum vitae humanae sapienter constitutis, lati-
 ponet.

HRISTIANVS GENSEL, et

V GOTT EPHRAIM GENSEL, Annabergenses,
 de Venerandi Domini Ephori nostri spei optimae filii, quo-
 lle, *an et quo sensu sapientis sit, cognoscere futura*, latino
 ne explicabit, hic *sapientis esse, praesentibus recte uti*, ora-
 etiam latina ostendet.

HRISTIANVS ELIESER GENSEL, Grimmenfis,
nae Christianae popularitatem lat. idiom. commendabit.